



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

**EPISTULA AD IOSEPHUM URTASUN,
ARCHIEPISCOPUM AVENIONENSEM,
SEXTO EXACTO SAECULO**

A PIO INNOCENTII PP. VI OBITU

ET B. URBANI PP. V

AD PETRI SEDEM ELECTIONE Duplicis ANNIVERSARIAE* *Venerabilis Frater,*

salutem et Apostolicam Benedictionem. Duplicis anniversariae memoriae celebritatem una cum grege, Tuis euris commisso, ut ad Nos allatum est, Tu, Venerabilis Frater, agere in animum induxisti, id est obitus Innocentii VI et ad Petri Sedem electionis B. Urbani V, Summorum Pontificum, qui difficilibus ac perturbatis temporibus, quibus Christi Vicarius, ob peculiaria rerum adiuncta non in Urbe septicolli, sed Avenione ad Rhodani fluminis ripam degebat, Ecclesiam moderati sunt. Quorum Maximorum Antistitum recordatio et Nostrum animum pulsat, siquidem, cum in Gallia olim commoraremur, Avenionem invisentes, veteris aetatis illius vestigia magno cum gaudio piaque cum reverentia sumus persecuti et monumenti lustravimus. Hi, ut historici docent, Viri fuerunt religione ac doctrina conspicui et Ecclesiae profectus studiosi; et, quamquam procul a Sede Pontificum propria ac veluti nativa ii christiano nomini praeerant, tamen commoratio eorum illo in loco utilitate non caruit, cum iisdem ita datum esset pacis bona inter publicae rei moderatores facilius promovere et confirmare. Prior, antea appellatus Stephanus Aubert, insignis iuris peritus, postquam ad Summum Pontificatum proventus est, allaboravit — quod laudis non parva est materia — ut disciplinam ecclesiasticam restitueret vitamque religiosam salutaribus conformaret praeceptis. Neque immemor Urbis, quo reverti cogitavit, Aegidium Cardinalem Alborno, magni ingenii et nominis virum, in Italiam misit, ut, Romani Pontificis Civitatem recto ordine componendo, reditum illum pararet. Iniuria autem temporum factum est, ut praeclara Summi Antistitis consilia ad effectum non deducerentur. Post X fere annos, quibus Ecclesiae praefuerat, die xii mensis Septembris anno MCCCLXII atque adeo ante vi saecula, de vita decessit, et conditus est, ut optaverat, sepulchro in templo monasterii Ordinis Cartusiensis a se exstructi in oppido Villanova. Quo coenobio tempore Gallicae perturbationis everso et corpore Pontificis Maximi inde submoto, eius ossa non ita pridem, anno videlicet MCMLX, Apostolica Sede probante, in sacram aedem illam, laudabili cura potestatum Reipublicae Gallicae restitutam, sunt ritu sollemni relata. Alteri Iesu Christi Vicario, cuius memoria in hac celebratione recolitur, fuit antea nomen Villoredo de Grimoard; qui, sodalis Ordinis S. Benedicti, abbas celeberrimi olim monasterii S. Victoris in urbe Massilia, disciplinarum artiumque cultor uberrimus, die xxviii mensis Septembris anno MCCCLXII, cum in Italia, ut Romanae Ecclesiae accuraret negotia, peregrinaretur, creatus est Pontifex Maximus, Innocentii VI proximus in Apostolico munere successor, quamquam Sacrae Purpurae dignitate non erat decoratus; commendabant enim eum vitae summa integritas atque austeritas, pietas eximia, ingenii clarissimae dotes.

Cui quidem electioni ipse vir humilis, ut in veteribus annalibus scriptum videmus, a cum tremore et timore » assensus est (1). Etiam hic studia virosque litteratos diligenter ac liberaliter auxit atque ornavit. Uni Ecclesiae utilitati intentus, Urbem petiit, « occurrentibus sibi clero et populo Romanis, ipsumque solemniter recipientibus cum magno gaudio ac Deum laudantibus de iucundo adventu suo » (2). Praeterea loca Christi incolatu sacra atque reditus Christifidelium orientalium ad unitatem catholicam eius cura fuerunt, qui impenso tenebatur studio pastorali et gravissimi muneris sui plane conscius erat. Quae laus non imminuitur eo quod tam sancta proposita ob temporum ac rerum discrimina non efficere potuit; quibus etiam coactus est ab Urbe discedere et Avenionem reverti. Qui in vita sanctimoniae fama claruerat, post mortem, quam die XIX mensis Decembris anno MCCCLXX eadem in urbe obiit, Beati cultu honorabatur ; quem Pius IX anno MDCCCLXX ratum habuit et confirmavit. E gemina celebratione, quae horum Pontificum honori agetur, Christifideles, ut probe confidimus, causam accipient et invitamentum Summum Pontificatum recte aestimandi eique toto animo adhaerendi; qua in re dignitas ipsa munusque ipsum imprimis sunt consideranda, quibus is, qui ea gerit, efficitur, ut ait S. Bonaventura, « primus et summus pater spiritualis omnium patrum, immo omnium fidelium et hierarcha praecipuus ... caput indivisum, Pontifex summus, Christi vicarius » (3). Quodsi interdum, instar frementium gurgitum, perturbationes circumsonant, ut Sedi Apostolicae temporum decursu saepius contingit, cum Summi Pontifices non Romae fuerunt in inclita Urbe, sed peregrino uti debuerunt domicilio, id non sine salubri divinae Providentiae coisilio accidisse videtur. Consona enim cum S. Augustino voce licet Nobis asseverare: « Non ... deseruit ille Ecclesiam suam; et si ad tempus turbavit eam, ob hoc turbavit, ut semper supplicaret ei, a quo in solida petra confirmaretur » (4). Ad Romanam hanc arcem nostris quoque temporibus multi homines, ex iis etiam, qui catholico non censentur nomine, oculos tollunt; perspectum enim habent vana esse et cassa saeculi huius praesidia, fallacia evadere tot opinionum commenta, ad irritum cadere conatus humanae consortionis ordinem divina lege neglecta stabiliendi: « in cathedra autem unitatis doctrinam positam esse veritatis » (5), hinc lucem emitti, quae dispellat caliginem, viresque suppeditari, quibus animae vegetentur. Peculiari vero studio iidem ad Romanam hanc Sedem in praesenti convertuntur, quod hic ad beati Petri sepulcrum singularis mox conventus agetur, Concilium scilicet Oecumenicum Vaticanum Secundum. Quod ut magnas edat utilitates vigorisque spiritualis copiam afferat Ecclesiae, quin immo universae hominum coinmunitati, Deum supplicibus precibus et conspiratis votis in ista Avenionensi celebratione rogate, quaesumus; pro quo magni pendendo pietatis officio in antecessum gratias ex animo agimus. Quod quidem sollemne iterum praeclaram Nobis praebet occasionem filiis, qui in ista incolunt regione, paternae voluntatis affectum significandi; cuius pignus ac testis sit Apostolica Benedictio, quam Tibi, Venerabilis Frater, et omnibus, qui eidem celebritati intererunt, peramanter in Domino impertimus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Iulii, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.* **IOANNES PP.**

XXIII

*A.A.S., vol. LIV (1962), n. 11, pp. 653-655. (1) St. Baluzius, *Vitae Papparum Avenionensium*, ed. G. Mollat, I, Paris 1916, p. 350. (2) *Ibid.*, p. 365. (3) *Breviloquium*, p. VI, c. 12. (4) *Sermo* 341, 4 ; P. L. 39, 1496. (5) Cfr. S. August., Ep. 105, 5; P. L. 33, 403.